



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

24 De tertio genere montium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

pretium, & sit census extinctus: nullam in hoc emptori Princeps iniuriam facit, quia liberum est illi censum perimere. Hinc etiam fit, ut Princeps Caio, quia Titio censum emerat minoris, possit etiam dicere, vel auge pretium, vel ego pensionem mutuum: quod si nolis, sume pretium, quod ego Titio debebam, & census habeatur extinctus. Quare Caio emptori secundo restitutum est integrum pretium, quod à Titio primario emptore Princeps acceperat, nisi causæ legitimæ subint, quibus aliter Princeps facere queat.

### De tertio genere Montium.

#### CAPVT XXIV.

**E**ST & aliud montium genus, quod tenetur ad censualem contractum reuocatur, & se habet in hunc modum: Princeps, vel Respublica libera, ob bella, vel alias causas pecunias indigens, solet aliquando subditos cogere ad dandas sibi pecunias, eâ lege, ut donec eas restituat, soluat quotannis cuique eorum, qui pecunias dederunt, certam pensionem, videlicet ei, qui centum aureos dedit, sex, vel quinque: & hi qui pecunias dant, vocantur creditores montis: ipse vero pecuniarum accipiens, mons, vel mutuum appellatur, quamuis solo nomine, non re ipsa tale sit, eò quod, qui pecunias dederunt, eas nequeunt repetere, sed solum annuam pensionem exigere, & Respublica, vel Princeps liberam habet facultatem restituendi singulis pecuniarum sortem quam dederunt: & datur etiam libera potestas creditoribus montis, ut suum ius, quod habet exigendi annuam pensionem, possint alteri vendere, & vendit aliquando pluri.

Primo queritur, An huiusmodi montium erectio sit licita? Olim in Italia magna fuit altercatio inter Theologos, & quibus multi opinabantur eos, qui pecunias dant, mutuas dare, & proinde creditores vocari, & ipsam sortem, mutuum. Deinde, quia pecunia vendi, & emi non potest, & in his montibus nihil aliud est, quod vendatur, vel ematur, nisi pecuniaria pensio, quæ quotannis soluitur. At communis est sententia hunc contractum esse licitum, quia est censuialis venditio, & emptio: ipsa enim Respublica in suis bonis, vel redditibus annuis antiquis, vel nouis censum imponit, & illum vendit pretio certo. Nec impedit, si ij, qui pecunias dant, creditores vulgo dicantur, & pecunias ipse, mutua: nec enim est habenda ratio nominum, quibus imperitum vulgus vitur, sed rei quæ geritur. Verè emptores sunt census qui pecunias dant, quia eas repetere nequeunt: & pecunias quæ dantur, verè sunt pretia, quibus annuæ pensiones emuntur.

Secundo queritur, Quo differat hoc etiam tertium genus montium à primo, quod mons Pietatis vocatur? Respondeo, hoc solum differre, quia montes Pietatis sunt instituti ad dandum mutuo pauperibus; at verò predicti montes solum eriguntur ob communem Reipublicæ salutem, & bonum, vel ob Principis necessitatem, ut videlicet Respublica, vel Princeps magnam pecuniarum summam accipiat, quæ præsentem subleuet necessitatem.

Tertio queritur, An licite ciues, siue subditi cogantur pecunias conferre in montem? Respondeo, licite cogi, quia uti superius dixi, officio magistratus possunt ciues compelli ob communem Reipublice necessitatem, vel ad vendendum res suas, vel mutuum dandum, vel etiam ad largiendam pauperibus elemosinam, vel ad emendum: ita etiam fieri solet, ut quando Respublica, vel Princeps in fame, & inopia rei frumentariæ, annonam emit, ut ciuium saluti prospiciat, cum deinde cogit emere, quando pecunia, non est, ne ætarium publicum, cuius pecunijs est emptum, damnatum pariat, hoc est, minuat, & decrescat, sic enim pauperum exhauriretur, & euanesceret.

Postremo queritur, Quales sint talium montium conditiones? Respondeo, tales, quales in censibus requiruntur: ut videlicet Respublica ex redditibus antiquis, vel no-

uis annuas pensiones possit soluere: deinde, ut ne, qui pecunias dant, eas amplius repetere queant. Deinde, ut ius habeat Respublica, vel Princeps repetendi sortem principalem, quoadocunque voluerit, & proinde extinguendi censum. Atque hæc quidem de censibus breuiter à nobis dicta sunt.

## DE CAMBIIS.

**N**OTA hæc res, ut verum fatear, obscura est, & difficilis explicatus habet: cam tamen quanta potero breuitate tractabo.

De cambijs pauca quedam tradidere Canonici iuris interpretes in capite ultimo de *Vsuris*, & Ciuilibus iuris consulti, ut Paulus, Angelus, Salicetus in *Codice, titulo de Vsuris*; Summistæ in *verbo Vsuræ, vel Cambium*; Angelus *vsuræ s. num. 51. Rosella eod. verbo 6. Siluester eod. 4. Tabienensis vsura 15. Armilla verbo Campsor. Theologi in 4. dist. 15. Gabriel quest. 10. art. 3. dub. 12. Maior quest. 36. & 37. Sanctus Bernardinus part. 2. serm. 39. art. 3. cap. 1. 2. & 3. Sanctus Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 47. & seqq. Conradus de *contract. lib. quest. 98. & 99. Caietanus in Opusculis tom. 2. tract. 7. Sotus libr. de Iustitia 6. à questione octaua vsque ad 13. Medina de rebus per *vsuram acquisitis, quest. 5. & seqq. Nauarrus in Manuali cap. 17. numer. 284. Auctor Coronæ Confessorum part. 2. cap. 8. tit. de Cambijs*, Ioannes Baptista Lupus in *tract. de Vsuris Comment. 3. §. 2. Thomas Bonifagni in tract. de Cambijs*, Franciscus Garcia de *Contract. §. 2. c. 6. & seq. Thomas Mercatus tract. de Contract. lib. cap. de Cambijs*, Cosmus Philarchus de *officio Sacerdotis, lib. 5. ca. 22. & seqq. Fabianus Genuensis in tract. de Cambijs*, & Hieronymus Luca, *de Cambijs*.**

### Quid sit cambium.

#### CAPVT I.

**R**IMO queritur, Ad quod genus contractuum cambium referatur? Respondeo, licet nonnulli, qui dixerint cambium, mutui ratione habere, alios vero, qui senserint, cambiū ad emptionem, & venditionem reduci, quia pecunia in cambio venditur, & emittitur: sed cum de singulis cambiorum generibus agam, explicabo, in quo genere contractus vnusquodque cambium reponatur: præsentem loco satis est dicere, communem esse sententiam, cambium referri ad permutationem, quia cambium est vnus pecuniarum cum alia commutatio; & proinde quedam permutationis species: nam permutatio latius pat-